

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

De Vera Notione Vocabuli Pneyma In Cap. VIII. Epist. Ad Romanos

Commentatio 1

[Jena]: Fickelscherius, 1776

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819246263>

Band (Druck) Freier  Zugang 



Fe. 1399^{1,2}.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn819246263/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819246263/phys_0003)

DFG

16p
12p
12p

DE VERA NOTIONE
VOCABULI ΠΝΕΥΜΑ

IN CAP. VIII. EPIST. AD ROMANOS

COMMENTATIO PRIMA

QVA

DIES PENTECOSTES

PIE SANCTEQVE CELEBRANDOS

INDICIT

ACADEMIA IENENSIS.



EX OFFICINA FICKELSCHERRIA

CICCI

CCCLXXVI.

F.C - 1399^{1.2.}

DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIS
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRIN-
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES MAR-
CAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA RA-

VENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

PIE SCABEA CIVICANDOS

ACADEMIA IENENSIS
Quod in multorum vocabulorum *πανύσυλον* significationibus de-
finiendis vsu nobis venire solet, vt dubii nonnunquam haere-
mus, quaenam eis potestas eo quem tractamus loco subiecta sit: id etiam
in eruenda iudicandaque notione, quae vocabulo *spiritus*, sexcenties in
N. T. obvio, tribuenda sit, saepenumero sacrarum literarum inter-
pretibus accedit. Etsi enim extra omnem omnino dubitationem po-
situm est, *πανύσυλα* in N. T. interdum significare tertiam Deitatis per-
sonam, cum Patre et Filio aeternum adorandam; (v. c. Io. 14, 26.
et alibi saepe) interdum Sancti huius Spiritus effectus et operationes,
tum miraculosas naturaeque vires et ordinem superantes, tum alias
etiam atque ordinarias; saepe omne id quod oppositum est *carni*, ex
hebraeorum more loquendi intellectae; nonnunquam etiam id quod *li-
terae* opponitur: tamen, si ad singulos locos deueniendum, ac, quid
hoc vocabulo quis loco denotetur, indicandum est, vehementer in-
ter se dissentient praestantissimi sacri codicis interpretes. Cuius gene-
ris dissensus cum eos stiam, qui enarrando octauo epistolae ad Roma-
nos

CLXXXVII

nos capiti operam dederunt, in varias partes distrabat; eaque pericopa in primis digna sit, quae per festos hosce dies pia et seria meditacione recolatur: illustrationem eorum capitis huius commatum, in quibus τε πνευματος mentio iniicitur, haud inutilen futuram esse existimauimus. Abstinebimus vero ab enumerandis examinandisque aliorum interpretationibus, et, missis caeteris quae explicacionem accuratorem desiderare videntur omnibus, id vnicō agemus, ut ex contextu orationisque συναρτησι atque e diligentī phrasum a Paulo adhibitum inter se comparatione, vim atque potestatem vocabuli πνευμα, saepe in hoc capite recurrentis, eruamus et quantum fieri potest brevissime declaremus.

In vniuerso hoc capite apostolus insignes illas praerogatiwas, quibus veri genuinique christiani gaudent, eo consilio recinfet, vt ex eorum enumeratione beneficiorum, quae *iustificatio per fidem* (vberius cap. 3. et 4. explicata et contra Iudeos vindicata,) in Christianos confert, magnitudo patescat. Cooperat quidem apostolus iam capite 5. felicissimam iustificatorum fortem describere; sed, ad alia mox delapsus, telam ad finem nondum perductam pertexere iam pergit. Occasionem vero redeundi ad huius rei tractationem, ei praebebant ea quae capite antecedente comm. 14 — 25. de misera hominis carnalis conditione scripserat. Isti carnali iam capite 8. opponit hominem spiritualem. Carnalem autem dixerat Iudeum (conf. cap. 8, 1. γνωστον νομον λαλω) qui nondum est υπο χριστου sed υπο νομου, cap. 6, 14. qui per opera legis iustificari Deoque acceptus fieri vult, eam autem ad iustitiam perueniendi viam quam Euangelium commononstrat, nempe sinceram in Iesum Christum fidem, spernit. Hic mancipatus est peccato cap. 7, 14. et seruit peccati cap. 6, 17. 20. Non ignorat quid lex divina ab homine postulet; quin ipsa ratio (νομος siue οίστω αὐθεωπος cap. 7, 22. 23.) non potest non intelligere, bona esse hominique utilissima quae lex praescribit (συμφωνι τω νομω, δι καλος, cap. 7, 16. et συνδομας τω νομω vs. 22.). Videt igitur meliora, probatque; et nihilo tamen fecius deteriora sequitur. Tanta est enim peccati in ipso regaantis vis, vt obtorto quasi collo, frustra reluctantē ratione et conscientia, homo abripiatur ad ea quae sensibus grata sunt perpetranda, licet absque legum diuinarum violatione fieri ne.

nequeant, cap. 7, 15. 19. 23. Hanc hominis carnalis prauitatem,
 qua ad peccandum propensus est, nominat apostolus peccatum in no-
 bis s. in carne nostra habitans, cap. 7, 17. 18. 20. legem quae est in
 membris nostris, s. legem peccati in membris quae sibimet nos reddit
 captiuos vs. 23. item corpus mortis vs. 24. midnida
 Iam facilis nobis patet aditus ad capitum octauum intelligentiam.
 Nempe quotusquisque est in Christo in coram cap. 8, 1. hoc est, quicun-
 que vera fide in Christum credit, liberatus est a tyrannie peccati (cap.
 7, 25.) quod, quamdiu regnabat, hominem inuitum ad committenda
 variis generis peccata pertrahebat, iam vero ἀμαρτία αὐτού κυριευσεῖ,
 εἰς γὰρ ὑπὸ χάριν cap. 6, 14. et ἡλευθερωθή ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας cap.
 6, 18. Insigne hoc beneficium describitur in priore capituli nostri par-
 te. Rem universam paucis verbis complectitur comma 1. οὐδὲν ἀραι
 νῦ καταγράφεις ἐν Christo. Verba haec in se spectate possent
 sic intelligi: fideles non damnari, quia Christus peccata nostra sua mor-
 te expiauerit eorumque reatum atque poenes abstulerit. Sed licet ve-
 rissima sit haec sententia et luculentissime in permultis sacrarum pagi-
 narum locis tradita legatur, vniuersa tamen orationis series aliam
 interpretationem hic postulare videtur. Primum enim τοῦ δικαιου
 manifeste indicat, ex antecedentibus explicanda haec esse. Nam vero ca-
 pite 7. Paulus non egerat de morte Christi expiatoria, sed de peccato
 quod in hominibus regnat εἰς τοῦ καρποφοροῦ τῷ θανάτῳ vs. 5. eos
 que morti obnoxios reddit vs. 13. adeoque causa est condemnationis.
 Hanc igitur mortis damnationisque causam, hoc καταγράφει procul a
 fidelibus abesse tradit Paulus in nostro commate. Deinde ea quae
 proxime sequuntur, hanc nostram interpretationem mirifice confir-
 mant. Comma secundum cum primo necit per particulam γὰρ. Eam
 igitur ob rem καταγράφει a genuinis Christianis abesse docet Paulus,
 quia liberati sunt ἀπὸ τοῦ ΝΟΜΟΥ της ἀμαρτίας καὶ τῷ θανάτῳ, h. e.
 quia non in ipsis regnat peccatum, quod cum morte summaque
 hominis infelicitate non potest non esse coniunctum. Etsi enim ne-
 regeniti quidem penitus ab omni peccato immunes sunt, (nam hi quo-
 que ἔχοντες ἀμαρτίαν 1. Io. 1, 8.) tamen, cum a peccato regi se non
 patientur, id quod supereft prauitatis naturalis propter Christum a
 Deo benignissime ipsis condonatur, nec damnantur qui summa cura at-
 que

que constanter euitare student omnia, quaecunque damnationi eos obnoxios reddere possent. Quod ad reliqua primi commatis verba attinet: *μη κατα σαρκα περιπατεσσιν, αλλα κατα πνευμα*, e versu 4. perperam hoc translata esse videntur. Abest enim vel totus hic *sixos*, vel saltim posterior eius particula: *αλλα κατα πνευμα*, ab omnibus codicibus graecis literis maiusculis exaratis, i. e. vetustissimis, *) nec non a duobus aliis eximiae bonitatis libris scriptis, scilicet cod. Roe 2. et Lambecii 34; deest in antiquis versionibus omnibus, si ab una discedas arabica, quae in polyglottis bibliis habetur, satis recenti et interpolata; omittunt etiam verba haec Patres tam graeci quam latini non pauci, v. c. Origenes, Athanasius, Cyrus alex. Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, aliquie. Praeterea, temere ac fortuito in tot monumentis vetustis verba haec vix ac ne vix quidem omissa videri possunt; nihil enim hic appareat earum rerum, quae libriis negligentibus aut festinantibus occasionem verba nonnulla transiliendi dare solent. Sed nec de industria ommissa fuere. Si quis enim cauere voluisse, ne eorundem verborum repetitio vs. 1. et 4. lectoris auribus molesta esset, sine dubio commate 4. non aut commate 1. ea deleuisset. Porro suspicari facile possumus, quanam re commotur aliquis haec adiecerit. Nempe istud *γδει κατασημα* vs. 1. interpretabatur de expiatione peccatorum nostrorum per Christum, ac, cum non perspiceret quomodo comma secundum cum primo ita intellectio cohaereret, e commate 4. suppleuit quae ad sensum atque nexum orationis plenius declarandum necessaria videbantur. Tandem additamentum eo etiam se prodit, quod manifesta extant successivae additionis indicia. Non enim eodem tempore totum illud: *non secundum carnem ambulantes, sed secundum spiritum*, additum fuit, sed initio prior tantum horum verborum pars (quae, eam quam diximus ob causam, necessaria ad sensum putabatur) adiiciebatur; posterior vero pars non nisi tempore aliquo interiecto accessit. Nam *non secundum carnem ambulantes* est *secundum spiritum*. A 3.

*) Sangermanensis enim liber in censum hic venire non debet. Descriptus enim est e Claromontano, postquam hic duorum correctorum manus expertus iam fuisset. Nempe in claromontano primum aberat totus *sixos*: postea alia manus tam graece quam latine additit: *non secundum carnem ambulantes*; tandem tertia manus adiecit etiam, sed graece tantum: *sed secundum spiritum*.

ambulantes extat iam in cod. alexandrino et claromontano post primam correctionem, in versionibus syriaca, arabica Erpenii, armenica et latina vulgata, atque in allegationibus Basilii Chrysostomi Hieronymi Ambrosiastrai aliorumque; quamquam in his omnibus nondum legatur sed secundum spiritum, seniori demum tempore adiectum. Quae cum ita sint, verborum horum explicationem commati quarto reseruamus et ad versum II. pergitus, ubi νόμος τα πνευμάτων της ζωῆς commemoratur. Per hanc legem spiritus intelligimus Euangelium, quod eam causam legis nomine hic insignitur, quoniam ab iis qui beneficiorum per Christum partorum participes esse volunt, resipiscentiam atque fidem per bona opera fere exserentem postulat, regenitorumque actiones vniuersas velut norma et regula dirigit. Nec inusitatum est scriptoribus sacris Euangelium appellare νόμον. Iacobus v. c Ep. I, 25. loquitur de νόμῳ τελειῷ τῷ της ἐλευθερίας, et ipse Paulus Rom. 3, 28. τῷ νόμῷ τῶν ἔργων, i. e. mosaicae legi, opponit νόμον πιστεως, h. e. Euangelium sive eam doctrinam, quae δικαιούσην δέξια χωρίς (ἔργων) νόμος cap. 3, 21. ἐν πιστεώς εἰς πιστήν cap. I, 16. 17. manifestat. Atque eidem legi mosaicae nostro etiam loco opponitur ὁ νόμος τα πνευμάτων. Ita enim raciocinatur Paulus: Euangelium liberavit nos a dominio peccati vs. 2; quoniam enim lex mosaica praestare hoc non poterat, misit Deus filium suum etc. vs. 3. ut praecepta legis seruare iam possitis vs. 4. Repetit igitur Paulus id, quod cap. 6, 14. aliis verbis ita elocutus erat: peccatum iam non potest tyrannida suam in vos quasi inuitos exercere, quia viuitis ὑπὸ χαρίου, sub foedere gratiae, sive sub oeconomia euangelica. Dicitur autem νόμος hic euangelicus νόμος τα πνευμάτων της ζωῆς, spiritualis lex vitae, h. e. doctrina s. religionis institutio perfectissima Hebreos enim πνευμα saepe ponere, ubi perfectionem atque eximiam rei alicuius praestantiam describere volunt, omnibus notum est) quae ad summam felicitatem (ζωῆς) beatissimamque vitam homines perducit. Cum enim (Com. III.) ob summam humanae naturae corruptionem lex mosaica hominibus emendandis beandisque minus sufficeret, vnigenitus Dei Filius, iussu Patris, hanc ipsam naturam, tantopere in caetdris hominibus depravatam, ab omni tamen peccati labe ipse purus, induit, eo quidem consilio, ut (καὶ προς ἀμαρτίας) a peccato nos liberaret; atque sic Deus

Dens κατέργιε την ἀμαρτίαν (την) εν τῇ σάρκῃ (σοιςθαν^{*}) i. e. pri-
vavit Dens peccatum tyrannica ista vi qua homines opprimebantur, el-
lēque per Christum istud quasi ius, quo homines, qui sua sponte se-
seruos tradiderant peccato, cap. 6, 16. 19. in miserrima seruitute deti-
nebat, ademit, οὐ κωταεγνθή το σώμα της ἀμαρτίας, τε μηκετί δε-
λεντή ή μης την ἀμαρτία cap. 6, 6. sive, vt Paulus pergit commate no-
stro IV. vt id quod lex diuina a nobis postulat (το δικαιόμα τε νομού)
praestare possumus, (non impediti iam a nimia ista peccati vi, qua
antehac ad facienda ea quae ipsi improbabamus abripiebamur) quip-
pe qui non secundum carnem sed κατα πνευμα ambulamus. Facilis
quidem est phraseos: secundum spiritum ambulare, intelligentia; sed
quoniam sequentium commatum sensus ex ea pendet, intactam eam
praetermittere non possumus. *Caro* est vniuersa illa, sive connata si-
ve acquisita et diurna cosuetudine roborata, prauitas animi in res
mundanas ac sensibus gratas inordinate ac peruerse propensi, quae in
homine nondum renato regnat; e qua singula peccata, tanquam ex
fonte riuii, profluent, eamque ob causam opera carnis Gal. 5, 19.
appellantur. Est igitur caro illud ipsum peccatum in nobis habitans,
cap. 7, 17. 20. sive lex peccati cap. 7, 23. et cap. 8, 2. *Secundum*
carnem ambulant, qui actiones suas ad instinctum et ductum carnis sive
ad normam τε νομος της ἀμαρτίας dirigere, prauis cupiditatibus ob-
temperare et opera carnis, longo ordine Gal. 5, 19. 20. 21. enumera-
ta, perpetrare solent. *Spiritus* igitur, vi oppositionis, est princi-
pium actionum bonarum in homine christiano, quae fructus spiritus
nominantur Gal. 5, 22. sive est complexus omnium propensionum,
inclinationum et habituum legi divinae consentaneorum, per doctri-
nam Evangelii, quacum coniunctae sunt Spiritus S. operationes, in
homine procreatorum. *Ambulant* vero *secundum spiritum*, qui nov-
am hanc animi vere christiani indolem in vniuersa sua agendi ratione
exprimunt, suumque pietatis studium factis probant. Commate V.
causam indicat apostolus, cur eos qui secundum spiritum ambulant
praecepta legis seruare dixerit. *Quemadmodum*, inquit, οὐ κατα
δικαιολογεῖται αποδιδούσι λόγῳ της σαρκὸς οὐδὲν τοις τελεστοις σαρ-

* Conf. cap. 7, 25. δι νομος της ἀμαρτίας, οὐ δι εν τοις μελεσι μου. Per Christum abrogatus est iste νομος in eis omnibus, qui in optimum hunc Salvatorem credunt. Conf. etiam ibid. vs. 17. 18. οὐ δικαιοθεὶς οὐδεὶς ἀμαρτίων εν γαρ σίκη εὶς ἐμοι, τατεσι εὶς τη σάρκη μου, αγαδο.

*σάρκα ὄντες id est ὁι σάρκινοι, in quibus animi ista prauitas emenda-
ta nondum est, rebus terrestribus et sensibus iucundis vnicē delectan-
tur, et his ita student ut legis diuinæ nullam habeant rationem (τα
της σάρκος Φρόνστι, coll. Phil. 3, 19. τα ἐπίγεια Φρόνεν): ita e con-
trario οι κατα πνευμα ὄντες, τα τα πνευματος Φρόνστι, i. e. ii, qui-
bus noua illæ animi inest indoles christiana, rebus spiritualibus, virtu-
ti scilicet atque pietati, operam dant ingenuam atque continuam. Hoc
igitur Φρόνημα τα πνευματος legi diuinæ obtemperat (coll. vs. 7. το
Φρόνημα της σάρκος legi non obtemperat.) Atque sic patet, verissi-
mum esse quod Paulus dixerat vs. 4. το δικαιωμα τα νομα πληρωθη-
ναι in eis qui secundum spiritum ambulant. Qui enim τα τα πνευμα-
τος Φρόνστι, et toto mentis affectu ad pietatem virtutemque christianam
feruntur, ii sine dubio ambulant etiam secundum spiritum, ex ani-
num suum virtutis amore imbutum in omnibus actionibus suis pro-
dunt. Huius vero rei fructus est (comum. VI.) ζωη και εἰρήνη, sum-
ma atque perfectissima quae in hominem cadere potest felicitas. Po-
nitur vero ζωη και εἰρήνη per metonymiam pro eo ex quo haec felici-
tas oritur, vt in priori commatis hemistichio θαύματος infelicitatis
causam designat. Paulo clarius eadem traduntur cap. 6, 23.*

*Hactenus generatim de duplice hominum genere, altero των κα-
τα σάρκα, altero των κατα πνευμα ὄντων, egerat apostolus, atque
vtriusque generis tum criteria, tum etiam sortem longe diuersam de-
scripsérat. Iam vero a versu 8. vsque ad 17. propius ad Romanos
suos orationem conuertit, eosque docet partim, quaenam sint indi-
cia e quibus constare ipsis queat, quod generi hominum κατα πνευμα
ὄντων iure meritoque accensere sese possint, vs. 9. partim commemo-
rat non solum officia quae ipsis tanquam πνευματινοις incumbant,
vs. 12. 13. verum etiam fructus uberrimos inde in ipsos redundan-
tes vs. 10. 11. 13. 14-17. describit. Cum igitur nihil aliud Paulus
in hac pericopa agat, quam vt demonstret, quomodo ea, quae gene-
ratim antea enunciauerat, ad ipsos etiam Romanos spectent: hinc iam
suspiciari licet, vocabulo πνευμα eandem subiectam esse significatio-
nem in sequentibus versibus, quam in antecedentibus tribuendam ei
esse vidimus. Com. IX. vos, ait, non estis ἐν σάρκι, sed ἐν πνευμα-
τι. *Esse ἐν πνευματι, non differt a κατα πνευμα esse* vs. 5. Sensus
est:*

est: „vos Romani, qui Iesum Christum vera fide amplexi estis, non e numero estis eorum, quos Deo displicere, immo morti atque poenis diuinis obnoxios esse modo dixi; sed estis ex eo hominum felicissimum genere, quibus per Christum ζωὴν καὶ εἰγῆνην partam esse docui. Ita quidem ego, tenerimo in vos amore ductus, statuere, sperare saltem, audeo; sed ne ipsi vos decipiatis et perperam spiritualibus hominibus vos accenseatis, accipite certissimum rei indicium atque criterium hoc: non estis ἐν πνευματι, nisi πνευμα Θεοῦ οἵνει ἐν ψυχῃ“ hoc est, nisi τὰ τὰ πνευματος Φροντίδες. Has duas loquendi formulas: *spiritus Dei habitat in vobis*, et: *ea quae spiritus sunt sapitis*, synonymas esse, haud leuibus ducti rationibus, statuimus. Primum enim parallelismus commatis quinti hanc interpretationem postulat. Commate 5 Paulus hanc generalem normam proposuerat: quicunque est κατὰ πνευμα sive ἐν πνευματi, ille ea quae spiritus sunt sapit; quae regula, per ipsam rei naturam, necessario etiam valet si ita invertatur: quicunque ea quae spiritus sunt sapit, ille est ἐν πνευματi. Iam comm. 9. istam regulam ad Romanos applicat vos estis ἐν πνευματi, siquidem (πνευμα Θεοῦ οἵνει ἐν ψυχῃ) ea sapitis quae spiritus sunt. Nulla sane superest commatis huius cum antecedentibus cohaerentia, nec ea quae generatim disputata erant vs. 1-8. quadrant ad applicationem eorum ad Romanos vs. 9. seqq. nisi inhabitatio *spiritus Dei* ita ut diximus intelligatur. Deinde *spiritus Dei* (sive spiritus eius qui Christum e mortuis suscitavit vs. 11.) *habitat in vobis*, prorsus idem est ac: *spiritum Christi habetis* comm. 9. fine. Quid vero sit, Christi spiritum habere, Paulus ipse declarat, commate 10. ita pergens: *Si vero Christus in vobis est* etc. Atque hinc non solum colligere possumus, phrasin: *spiritus Dei habitat in vobis*, non magis h. l. ad tertiam sacro sanctae τριάδος personam referendam esse quam ad Patrem aut Filium; verum etiam, alia loca v. c. Gal. 2, 20. Eph. 3, 17. conferentes et ad orationis in ipsis locis σύναψειαν probe attendentes, edocemur, Christum atque spiritum Christi inesse nobis tunc, si fides in Christum ac amor Christi sincerus cogitationes actionesque nostras ista dirigit, ut ea tantum amemus ac velimus, quae Christus vult et quae doctrinae eius consentanea sunt; hoc est, si Φροντίδα τὰ πνευματος nobis inest *).

Prae.

*) Ne quis forte repugnare existimet interpretationem nostram caeteris locis

B

locis

Praeterea loquendi formula: spiritus Dei *habitat* (ονται) in vobis, tantum abest ut huic interpretatione officiat, ut potius eam egregie confirmet. In antecedentibus enim saepius dixerat apostolus: *peccatum habitat* (ονται) in me, 7, 17. 20. non *habitat* in carne meā bonum, vs. 18. *lex peccati est in membris meis* vs. 23. Hanc prosopopoeiam porro continuat apostolus et animum christiana pietati studiosum (qui e diametro oppositus est τηλαργεια in eis qui prauis cupiditatibus regi se se patiuntur ονται, habitare, et Φρονησα τε χριστος inesse dicit iis, qui ea mente voluntatisque indole praediti sunt, quā Christus ipse praeditus erat Phil. 2, 5. Confer praeterea 2 Tim. 1, 6. et Sapient. 1, 4. His praemissis, sensum comm. 9, 10. et 11. paucis ita redimus: „Vos, Romani dilectissimi, non estis ē numero carnalium hominum, morti atque poenis subiectorum; spiritualibus potius, quorum fors est semperque erit felicissima, ego quidem laetabundus vos accenseo, siquidem, vt spero, mente vere christiana praediti estis. Si quis vero hac mentis indole caret, is Christianus dici neutiquam meretur, nec beneficiorum quae Christus nobis procurauit, particeps esse potest. Comm. 10. Quodsi vero ita, ut genuinos Christianos decet, animati estis, non quidem a morte corporis immunes eritis, cum propter

locis in quibus eadem haec loquendi formula occurrit, obiter monemus, ne in his quidem omnibus sermonem esse de inhabitatione Spiritus S. fine tertiae in Deo personae v. c. Gal. 4, 6. misit Deus spiritum Filii sui in corda nostra, comode interpretari possumus: dedit nobis animi sensum simillimum ei qui inerat Filio suo vnigenito, coll. Phil. 2, 5. et de vocabulo ἐπεπειλε Iudic. 9, 23. apud LXX. Sic etiam 2 Tim. 1, 14 spiritus sanctus in nobis habitans optime explicatur e commate 7. de spiritu διαφενεις και αγιστης και σωθησης, qui opponitur πνευματι διαιτης, coll. vs. 6 fides habitavit in matre tua. Alio sensu eadem formula legitur 1 Cor. 3, 16. Hoc enim loco apostolus non de singulis Corinthiis, sed de vniuerso eorum coetu loquitur. (coll. vs. 9.) atque ex operationibus Spiritus S. quae Corinthi erant frequentissimae, probat, numen diuinum ipsis esse praesentissimum, eorumque ecclesiam recte haberi pro templo Dei, quod nemo sano sacrilegio ac impune possit, in varias partes illud quasi discerpendo, diruere. Quae-nam igitur vis ac potestas subiecta sit huic formulae, in tanta eius πολυτυχεια, quoquis loco figillatim disquirendum est: nec obstant interpretationi nostrae loci nonnulli, in quibus personae Spiritus S. trubuit habitatio in cordibus fideliq.

propter peccatum omnes homines mortis necessitate teneantur; sed nihilo tamen sécias laetissima erit in posterum conditio vestra. Nam immortalis vestra anima non solum post corporis interitum superstes erit, sed felicissimam etiam atque beatissimam vitam ageret, siquidem aeterna praemia Deus sperare iussit eos, qui (sicut vos) iustificati per fidem in Christum pie sancte atque iuste in hoc mundo vixerunt. Comm. 11. Quid? quod ipsa etiam corpora vestra in vitam revocabuntur. Nam si, quod ad animi voluntatisque indolem, Deo atque Christo similes fieri in hac vita studiis, idem ille Deus qui Iesum Christum e mortus suscitauit, corpora etiam vestra iterum viuiscabit; quandoquidem ne corpora quidem eorum, qui mente vere christiana praediti sunt et τα τε πνευματος Φροντι. felicioris illius sortis, qua post mortem animae ipsorum gaudebunt; experitia esse Deus voluit, quoniam το Φροντι τα πνευματος etiam ad corpus eorum pertinet, eius motus regit, et membris eius vtitur quasi instrumentis ad actiones legi diuinae consentaneas, cap. 6, 13. "

Supersunt nonnulla comm. 10. et 11. paulo enucleatus exponna vberiusque declaranda. Difficultate non carent vs. 10. verba: το πνευμα ζων dia δικαιοσυνη. Animam hominis per πνευμα significari, dubitare nemo potest, cum πνευμati diserte opponatur corpus morti subiectum. Eodem sensu πνευμa recurrit vs. 16. et alibi. ζων ponitur pro ζη siue ζων. Vitam innui beatam, tam e collatione commatis 6. quam ex vniuersa argumentandi ratione, qua vtitur Paulus, efficitur. Quid vero sit dia δικαιοσυνη, colligi potest ex opposito δι αμαρτιαν. Corpus morti obnoxium est propter peccatum, anima vero vita fructur beatissima propter iustitiam, h. e. propter sincerum virtutis christiana studium, siue propter Φροντι τα πνευματος, quod ζων uas είγενη afferre vs. 6. vidimus. Idem aliis verbis repetit Paulus vs. 13. atque interpretationem nostram corroborat. Neque tamen iustificationem propter meritum Christi hac nostra vocabuli δικαιοσυνης explicatione excludimus. Non enim de virtutibus infidelium apostolus loquitur, sed de sanctitate hominem per fidem iamiam iustificatorum. Conf. cap. 5. 1. coll. vs. 4. 10. vbi το σωθηναι eandem rem describit, quae in nostro textu per ζων innuitur. Quodsi vero dia δικαιοσυνη recte exponitur per dia το Φροντι τα πνευματος, atque hoc Φροντι, ut supra vidimus, idem ille spiritus Dei est qui



in fidélibus habitat: facillima erit commatis 11. explicatio; præsertim si animaduertamus, simillimam esse structuram commatum 10. et 11. eundemque in vtroque commate argumentationis modum. Comm. 10. dixerat apostolus: Si Christus est in vobis (h. e. si *spiritus Christi atque Dei habitat in vobis*) anima vestra fruetur vita beatissima propter iustitiam (sive propter *spiritum Dei in vobis habitantem*). Iam pergit comm. 11. Si *spiritus Dei in vobis habitat*, corpora vestra resuscitabuntur propter *spiritum Dei in vobis habitantem*. Manifestus hic membrorum vtriusque commatis parallelismus dubitare nos non sinit, quin verba: *spiritus Dei in vobis habitans* eodem sensu commate 11. accipienda sint, quo com. 9. accipi ea debere demonstrauimus. Significatur nimirum τοῦ Φρεγάτα τῶν πνευμάτων sive ἡ δικαιοσύνη. Nec difficile est intellectu, quomodo Paulus corporum resurrectionem sperare iubet Romanos suos propterea quod spiritu Christi animati sint, ΔΙΑ τοῦ εὐαγγελίου. Rei huius rationem facile perspiciemus, si partim perpendamus, loqui apostolum de felici fidelium forte, adeoque de resurrectione corporum hominum beatorum; partim animum aduertamus ad discrimen quod intercedit, quod ad usum corporis, inter homines carnales atque spirituales. Illi corpore suo ad implendas animi sui nefarias libidines perpetrandaque varii generis flagitia abutuntur, ac praeterea ad peccandum saepenumero incitantur per inordinatos corporis motus, quibus abripi se patiuntur, vt Paulus peccatum in mortali eorum corpore regnare contendat cap. 6, 12. Contra vero hi, qui sanctitatem animi ita ut Christianos decet sectantur, prauos etiam corporis motus reprimunt ac domant vs. 13. corporis sui membra exhibent Deo ὄπλα δικαιοσύνης iisque tanquam instrumentis iustitiae et virtutis utuntur ad seruendum Deo, cap. 6, 13. purificant se ab omni contaminatione carnis non minus quam spiritus, 2 Cor. 7, 1. et glorificant Deum tam corpore suo quam spiritu, 1 Cor. 6, 20. ita ut corpora etiam ipsorum membra Christi appellari possint 1 Cor. 6, 15. Quae tum ita sint, corpus etiam ipsum in societatem veniet illius felicitatis, qua fidelium animae olim a Deo benignissime cumulabuntur. Vti enim animi defectio a Deo corpus ita contaminavit, vt innumeris miseriis et morti ipsi merito subiiceretur: (vt. 10.) ita vicissim, animo ad Deum conuerso, corpus quoque, a pristina peccati seruitute liberatum, in nouae felicitatis consortium admittitur; et quemadmodum corpus eorum

eorum qui τὰ τὰ πνευματος Φεοιγσι, quodammodo in societatem qua si venit certaminis aduersus prauos motus carnisque illecebras, ita etiam praeuia victoriae non immerito una cum anima percipiet. Recete igitur propter spiritum Dei in nobis habitanten corpora nostra in vitam longe felicissimam renouaturum esse Deum, praeeunte Paulo, credimus.

Praeterire hic non possumus insignem illam lectionis varietatem, quae non solum libros manu scriptos, verum etiam editiones tam antiquiores quam recentiores in varias partes distrahit. Editiones Erasmi, Stephani, Millii, Schoetgenii, Bengelii aliaeque habent δια τὸ ἐνοικεῖν αὐτὸς πνεῦμα. In editionibus vero Complutensi, Bezae et recentioribus plerisque legitur δια τὰ ἐνοικεῖντος αὐτὸς πνευματος, quae lectionis discrepantia ad definiendum effati Paulini sensum, si significatio particulae δια in N. T. visitator spectetur, non minimi momenti est. Quis enim est qui intelligat quantum resuscitari per spiritum (δια τὸ πνεῦματος) differat a resuscitatione propter spiritum (δια τὰ πνεῦμα). Vtraque lectio aequa fere antiqua est. Nam δια τὸ πνεῦμα legitur apud Origenem saepe, et in codice vetustissimo claromontano, nec non apud Irenaeum, Tertullianum etc. Contra vero δια τὰ πνευματος occurrit apud Clementem alex. et in antiquissimis codicibus alexandrieno et Regio Ephraemi. Quod ad numerum attinet codicum et Patrum alterutram lectionem tuentium, pro vtraque satis multi excitantur testes. Wetstenius pro lectione δια τὸ πνεῦμα laudat, praeter libros graecolatinos DEF et G, codices 14; quibus addendi sunt non solum codex 3 et 21, quorum lectiones Wetstenius ipse profert, (δια τὸ ἐνοικεῖν αὐτῷ πνεῦμα, 3. et δια τὸ ἐνοικεῖν αὐτὸς πνεῦμα, 21.) una cum aliis tribus a Wetstenio quidem excerptis sed h. l. perperam silentio praetermisssis, scilicet cod. 17. 36. et 47. verum etiam alii septem post Wetstenii tempora demum collati, nimirum harleian. 5552. et 5613, colbertin. 771. et Lambecii 34. 35. 36. 37. Hanc igitur lectionem assit auctoritas triginia codicum, de quibus certo nobis constat; eandemque sine dubio alii plures exhibent. Cum enim plerique codices collatis sint cum editione erasmica aut stephaniana, (quae δια τὸ πνεῦμα habent) ii. qui collationem instituerunt nihil notare potuerunt in schedis suis quoties librum manuscriptum cum edito suo consentientem vidderent

derent in lectione *dia το πνευμα*. Hoc autem cum vel nescirent vel non attenderent il qui lectionum variantium collectionem adaptarent tex-tui ab erasmico et stephanico discrepanti e.g. elzeviriano, fieri non potuit, quin nonnulli codices non laudarentur ad lectionem *dia το πν.* in quibus ea tamen deprehensa fuerat a collatore. Pro altera vero lectio-ne *dia το πν.* excitat Wetstenius, praeter cod. alexandrinum et cod. Ephraemi (qui tamen legit *dia το ενοικουντος αυτω πνευματος*, quod αυτω vel ad Patrem vel ad Christum referendum esset ac sensum valde mutaret) non nisi codices quinque, e quibus unus, Icil. 22, iam laudatus fuerat ad lectionem priorem, adeoque vel hic vel ibi omitti debet. His addi possunt e Millio et Bengelio duo alii, couellianus secun-dus et feidelianus, atque e Treschouio lambecianus primus. Si igitur codicum numerum spectes, lectio *dia το πνευμα* sine dubio potior est. Sin vero Patrum testimonia numeres, neutra alteri cedit. Sed auctoritates non tam numerandas sunt quam ponderandae. Itaque ad vindicandam lectionem *dia το ενοικουντος αυτω πνευμα*, cui commatis hu-ius interpretatio supra proleta superstructa est, sequentibas utimur rationibus: 1.) ,Magnum, iquit Bengelius, est h. l. pondus versionum ; eae accusatiuum referunt. „ 2.) Consensus Origenis cum codicibus graecolatinis et translatione latina, tam ante hieronymiana quam vul-gata, eo magis confirmat hanc lectionem, que saepius alibi Origenis tex-tus ab hisce codicibus et hac versione disrepare solet. Idem valet de confessione Origenis cum Chrysostomo et Theodoreto. Ex omnibus codicum familiis sive textus sacri recensionibus supersunt testes non-nulli, iidemque praestantiores, qui in hanc lectionem conspirant. Prae-stantissimis sane codicibus accensendi sunt cod. 17. 46. 47. 3) Magna quidem auctoritas, in textu epistolarum Paulinarum iudicando, esse solet codicum A. et C. qui alteram lectionem tuentur; sed h. l. pondus eorum eleuatur per dissensum Origenis, cuius textum alias fere sem-per hilibri pressé sequuntur. 4) Solemne erat librariis, imo commen-tatoribus quoque, vocabulum *πνευμα*, vbiunque in N. T. ipsis oc-cureret, de Spiritu S. intelligere; vnde sexcenties *αγιον* additum cer-nimus in codicibus et versionibus, vbi meliores libri *πνευμα* tantum exhibent. Cum igitur nostrum etiam locum nonnulli de Spiritu S. ex-plicarent, atque existimarent, resuscitationem corporis per Spiritum S. faciliorem esse intellectu quam resuscitationem corporis propter Spir-itum

tum S. mutarunt lectionem difficiliorem in faciliorē, eodem manente, ut ipsis videbatur, sensū. Nam *dia*, licet accusatio iunctum, tamen verti interdum debet *per*. Atque sic *dia το ἐρωτητικόν* intellexisse videntur. Itaque loco constructionis *rarioris* atque *ambiguitatis* posuerunt visitatiorem; qua mutatione hoc simul obtineri existimabant, ut caucretur, ne lectores apostolum eandem rem eodem commate bis dixisse autemarent. Sed hac cautione opus profectō non erat. Tautologiae vitio hoc *dia το ἐρωτητικόν αὐτὸς πνευμα* non magis sane laborat, quam illud *dia διαιροσθένην* vs. 10. 5.) Lectio, hoc modo orta, deinceps ab aliis sedulo propagata atque defensa est, ut Macedonianos eo fortius oppugnare possent. Scimus enim e dialogis de trinitate, qui tam inter Athanasii quam Theodoreti opera excudi solent et a plerisque Maximo auctori tribuantur, controversiam ortam fuisse de hoc loco eiusque lectione inter catholicos et Macedonianos Dial. III. in editione operum Theodoreti halensi tom. 5. p. 1018. Postulabat haereticus macedonianus, ut *catholicus aduersarius* probaret, Spiritum S. aequē ac Patrem et Filium suscitare mortuos. Prouocabat *catholiceus* ad locum nostrum, excitatque *dia το πνευματος*: Macedonianus vero regerebat, non ita scriptum esse, sed *dia το πνευμα*, nisi forte *in uno aut altero mendoso catholicorum exemplari genitius extet.* Ad haec *catholicus* ostendere possumus in cunctis veteribus exemplaribus ita scriptum esse: (falsum hoc esse patet ex antiquissimis versionibus et Patrum qui antu haeresin macedonianam scripserunt, allegationibus.) Sed quoniam existimas id in controversia positum esse, alium scripturae locum afferam: — littera occidit, *spiritus dum vivificat* — Nonnulli interiectis haereticum p. 1027 ita increpat: Vos Macedoniani et epistolam ad Hebreos reiicitis, et epistolam ad Romanos adulteratis, dum scriptum esse dicitis: *dia το ἐρωτητικόν αὐτὸς πνευμα*. — Cum igitur polemici de loci huius lectione inter se decertare, sibique adulterationem textus s. vici sim exprobare coepissent: facile intelligitur, eam lectionem quae orthodoxis magis fauere videretur, librariis prae altera placuisse atque studiose codicibus insertam esse. Extat rei huius indicium in codice 2. qui ineptissime legit: *dia το ἐρωτητικόν αὐτὸς πνευματος*. Nempe in exemplari quo librarius describendum sibi sumferat, extabat: *dia το ἐρωτητικόν αὐτὸς πνευμα*. Priora verba fideliter transcriperat; cum vero

ad

ad vocabulum πνευμα peruenisset, atque hanc lectionem haereticis depravationibus vulgo annumerari recordaretur, audacter πνευμα mutauit in πνευμatos, ac prae nimia festinatione ea quae iam scripterat intacta reliquit. 6.) Ea quae de vera significatione formulae τοι ενοικεν εν ιων πνευμα supra disputata atque ex vniuersa orationis συναφεια comprobata sunt, lectionem δια τα πνευμatos falsitatis arguunt. 7.) Illud δια δικαιοσυνην vs. 10. ob euidentem membrorum commatis 10. et 11. parallelismum supra indicatum, postulat δια τα πνευμα. 8.) Scriptura S. resuscitationem mortuorum non solet Spiritui S. sed Filio vel Patri, per Filium mortuos in vitam revocanti, tribuere. Igitur analogia etiam Scripturae lectioni nostrae fanet. Sed haec hactenus. Quae vero explananda supersunt capitis nostri commata in quibus τα πνευμatos mentio fit, praesertim difficiliora illa 14-16, et 26. 27. ea in aliud tempus referuamus.

Vos vero, CIVES CARISSIMI, omnem date operam, ut id quod descripsimus πνευμα θεος και χριστου in Vobis habeatis habitans. Lubenter admittite salutarem Spiritus Sancti, quem huius πνευμatos siue nouae emendataeque animi indolis auctorem esse scriptura f. testatur, virtutem. Cum vero Spiritus S. operetur per verbum divinum, quo tanquam instrumento suo vritur: per festos hosce dies non solum priuatim oracula diuina apud animum Vestrum perpendite diligenter, verum etiam publicis eorum interpretibus auditores Vos praebete tum attentos, tum etiam gratos.

P. P. ipso die Pentecostes MDCCCLXXVI.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn819246263/phys_0021](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819246263/phys_0021)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn819246263/phys_0022](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819246263/phys_0022)

DFG


F Reppien



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn819246263/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819246263/phys_0024)

DFG



n, quae in suscitando Christo se exseruit. Vt enim
Saluatoris nostri palmarium est fidei nostrae obiectum,
maximum eius fundamentum est. Quamobrem Paulus
statutus i Cor. 15, 14. 17. si Christus non resurrexerit,
est fides vestra, et vos adiuc in peccatis vestris eis,
primum veniam neutquam impetravistis, sed ~~re~~geat potius
~~eu~~tais ~~du~~actia*is*, quae verba mirifice illutrant ea,
deutum ~~ω~~νοντας του τω Χριστων θεον scripsi-
tere in sacris litteris, praeferunt apud diuum Paulum,
s repetitum legimus, fidem Christianorum esse fidem
Christum e mortuis suscitauit, v. c. Rom. 4, 24. cap.
1 Thess. 4, 14. 1 Petr. 1, 21. atque huic fidei iisdem
e tribuitur etiam hoc, quod iustificemur, sive, quod
viviscemur, cum Christo in vitam revocato; quem-
braham quoque Paulus iustificatum esse tradit pro-
d credidit in eum, qui mortuos in vitam reducit, vid.
7. coll. 22. Ex quibus omnibus patet, analogiae
et doctrinae Paulinae apprime consentaneam esse
culi, fatis iam pro instituti ratione declarati, inter-

n nunc est, cives carissimi, ingentem summorum
a numerum, quae Saluatori nostro Optimo Maximo
rectioni et in coelum ascensioni accepta ferimus, se-
e meditari. Neque sane beneficiorum illorum minima
est Spiritus Sancti super Apostolos effusio. Ipsi enim
ster teste Ioanne cap. 16, 7. docuit, hanc ipsam ob-
sumum discipulis suis fore suum ad Patrem redditum;
nisi rediret ipse in coelum, Spiritum hunc esse ven-
post abitum suum ad Patrem certissime se eum esse
a. Atque si vel nullum aliud extaret infinitae, quam De-
minodo exseruit potentiae documentum, quam hoc, quod
recostes die experti sunt; tamen hoc solum immeniae
iae ambiguum abunde monstrarer, atque simul diuini
fauoris